

diterraneo, et à Pylo xij. M. pass. Intus delubrum Olympij Iouis, ludorum claritate fastos Græciæ cõplexum. Pysæorũ quondam oppidum, præfluente Alpheo amne. At in ora promontoriũ Ichthys: amnis Alpheus navigabilis prope sex oppida, Aulon, Leprion, promontorium Platanistus: omnia hæc ad occasum versa. Ad meridiem autẽ Cyparissius sinus cum vrbe Cyparissa lxxij. M. pass. circuitu. Oppida Pylos, Methone: locus Helos, promontoriũ Acritas, sinus Asineus, ab oppido Asine, Coronæus à Coronæ. finiuntur Tanaro promontorio. Ibi regio Messenia duodeuiginti montium. Amnis Pamisus. Intus aut ipsa Messene, Ithome, Oechalia, Arene, Pteleo, Thryo, Dorion, Zanele, varijs clara tpiõ. Huius sinus circuitus lxxx. M. p. traiectus vero xxx. M. Dehinc à Tanaro ager Laconicus, liberæ gētis: et sinus circuitu ccvi. M. traiectu xxxix. M. Oppida Tanarũ, Amyclæ, Pheræ, Leuctra, et intus Sparta, Therane, atq; vbi fuere Cardamyle, Pitane, Anthane: Locus Thyrea, Gerania. Mõs Taygetus, amnis Eurotas, sinus Aegilodes, oppidũ Psammathus. Sinus Cytbeates ab oppido: ex quo ad Cretã insulã certissimus cursus. Oia aut Maleo promontorio includuntur. Qui sequitur sinus ad Scylleũ, Argolicus appellatur, traiectu quinquaginta M. pass. idem ambitu clxxij. M. Oppida Boea, Epidaurus, Limeræ cognomine: Zarax, Cyphanta portus. Amnes, Inachus, Erasinus, inter quos Argos hippium cognominatum, supra lacum Leren, à mari M. M. pass. nouemq; additis milibus, Mycene: & vbi fuisse Tyrintha tradunt: & locus Mantinea. Montes, Artemius, Apesantus, Asterion, Parparus, aliq; vndecim numero. Fontes Niobe, Amymonne, Psammate. A Scylleo ad Isthmũ clxxxvij. M. pass. Oppida Hermione, Træzen, Coryphasium: appellatũq; alias Inachium, alias Dipsum Argos. Portus Canites, sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, vnde nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum. In eo Epidaurũ oppidum, Aesculapij delubro celebre, Spiraum promontoriũ, portus Anthedon, & Bucephalus: & quas supra dixeramus, Cenchrea, Isthmi pars altera cũ delubro Neptuni quinquennialibus inlyto ludis. Tot sinus Peloponnesem ora lancinant, tot maria allatrant. Siquidẽ à septentrione Ionũ irrupit, ab occidente Siculo pulsatur, à meridie Cretico vrgetur, ab oriente brumali Aegeo, ab oriente solstitiali Myrto: quod à Megarico incipiens sinus, totam Atticam alluit.

De Arcadia.

CAP. VI.

Mediterranea eius Arcadia maxime tenet, vndique à mari remota: initio Drymodis, mox Pelasgis appellata. Oppida eius, Psophis, Mantinea, Stymphaliũ, Tegea, Antigonea, Orchomenum, Pheneũ, Palatium vnde palatium Roma: Megalepolis Catina, Bocalium, Carnon, Parrasia, Thelphusa, Melanaea, Heræa, Pyle, Pellana, Agræ Epium, Cynætha, Lepreon Arcadia, Parthenium, Alca, Methydrium, Enispe, Macistum, Lampe, Clitorium, Clea-

inter qua duo oppida regio Nemea, Bembinadia vocitata. Montes in Arcadia, Pholoe cum oppido, item Cyllene, Lycaeus, in quo Lycæi Iouis delubrum: Menalus, Artemisius, Parthenius, Lampeus, Nonacris: præterq; ignobiles octo. Amnes, Ladon è paludibus Phenei, Erymantus è monte eiusdem nominis in Alpheum defluentes. Reliquæ ciuitates in Achaia dicendæ, Aliphiræi, Abeata, Pyrgenses, Perethes, Paragenita, Tortuni, Typania, Triasii, Trittenses. Vniuersa Achaia libertatem Domitius Nero dedit. Peloponnesus, in latitudine à promontorio Maleæ, ad oppidum Lechaum Corinthiaci sinus clx. M. passuum patet. At in transuersum ab Elide Epidaurum cxxv. M. Ab Olympia Argos per Arcadiam lxxij. M. Ab eodem loco ad Philiunta dicta mensura est. Vniuersa autem, velut pensante aquorum incurfus natura, in montes vi. atque lxx. attollitur.

Græcia & Attica.

CAP. VII.

AB Isthmi angustijs Hellas incipit, nostris Græcia appellata. In ea prima Attica, antiquitus Attæ vocata. Attingit Isthmum parte sua, quæ appellatur Megaris, à colonia Megara, è regione Pagarum. Duo hæc oppida excurrente Peloponneso sita sunt vtraque ex parte, velut in humeris Helladis. Pagæ & amplius Aegosthenenses contributi Megarenensibus, in ora autem hac portus Schænus. Oppida Sidus, Cremyon. Scyronia saxa vi. M. longitudine, Geranea, Megara, Eleusin. Fuere & Oenoa & Probalinthos quæ nunc non sunt. Ab Isthmo quinquaginta duo M. passuum Piræus & Phalera portus, v. M. pass. muro recedentibus Athenis iuncti. Libera hæc ciuitas, nec indiga vllius præconij amplius, tanta claritas superfluit, in Attica fontes, Cephisia, Larine, Galliroe, Enneacrunos Montes, Brilessus, Aegialeus, Icarus, Hymettus, Lycæus, amnis Ilissos. A Pyrao xlij. M. pass. Sunium promontorium, Doriscũ promontorium. Potamos, Brauron, quondam oppida. Rhamnus pagus. Marathon, campus Thriasius, oppidum Melita, & Oropus, in confinio Bæotia. Cuius Anthedon, Onchestos, Thespia liberum oppidum, Lebaea: nec cedentes Athenis claritate, quæ cognominantur Bæotia Theba, duorum numinum Liberi atq; Herculis (vt volunt) patria. Et Musis natale in nemore Heliconis assignant. Datur & his Thebis saltus Cithæron, amnis Ismenus. Præterea fontes in Bæotia, Oedipodia, Psammate, Dirce, Epigranea, Arethusa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie. Montes extra prædictos, Mycalesus, Adilissus, Acontius. Reliqua oppida, inter Megaram & Thebas Eleuthera, Haliattus, Platea, Pheræ, Aspedon, Hylla, Thisbæ, Erythra, Glissas, Copæ: iuxta Cephissum annem Lamia & Anichia: Medeon, Phligone, Grephis, Coronæa, Cheronia. In ora autem infra Thebas, Ocale, Eleon, Scolos, Schenos, Perteon, Hyria, Mycalesus, Hyreseon, Pteleon, Olyros, Tanagra liber populus, et in ipsis faucibus euripi, quem